

DE
VERITATE AESTHETICA
Dissertatio.

Cujus

Partem Secundam,

Venia Ampliss. Ord. Phil. Aboëns.

Publico examini modeste offerunt

Mag. MICHAËL CHORÆUS,
Eloquentiae Docens,

Et

ZACHARIAS CASTRÉN,
Ostrobothnienfes.

In Auditorio Majori die 6 Junii 1801,

Horis a. m. solitis,

ABOÆ,

In Officina FRENCKELLIANA.

DE
VERITATE ÆSTHETICA.
PARS SECUNDA.

§. V.

Ordinem cui convenienter huc usque observatio-
nes nostras instituimus tenentes ad Veritatis
Æstheticæ naturam proprius examinandam perveni-
mus. Involvit itaque hoc primum omnium, ut res,
quam repræsentare voluerit Auctor in se sit pos-
sibilis; quod si violatum fuerit præceptum, in ab-
surdum & absolum abeat necesse est quæcunque re-
præsentatio. Quid igitur est possibile? Omne quod
cogitari potest, respondent philosophi. Hoc autem
ut rite intelligatur, ad leges naturæ adtendendum
esse putaverim. Quas quamvis pro infinita rerum
multitudine variæ admodum sunt, fixas tamen &
constantes esse, observarunt naturæ scrutatores. Qui
ad naturæ sacraria penetrarunt; qui hoc egerunt, ut
sanctissimum cognoscerent creatorem, nec peregrin-
atorum instar qui in percursis a se exteris regioni-
bus, fenestras tantum amplissimarum ædium nume-
rant, nec quidquam amplius curant, vitæ curricu-
lum perficerent, hi inquam lætissimi observarunt na-
turam in suis operibus & procreandis & conservan-
dis certum sequi ordinem; atque hinc nobis præce-
perunt, ne quid cogitemus quod huic ordini haud

D con-

conveniat. Quod itaque experientiae multis firmisque experimentis probatae contrarietur, quod naturæ leges aliquo modo turbet, id quidem ejusmodi est, ut cogitari neque debeat nec possit. Si ergo a physico quovis quæsiveris an possibile sit ut corpus exsistat quod absolute leue sit, vel phlogiston de quo tantopere disputatum est inter eruditos ejusmodi sit indolis ut in se leve aliis quoque corporibus levitatem conciliat. Si a Chemicô quæsiveris an sulphur & aurum, si ejusmodi uti nobis liceat exemplo, se invicem facile attrahant & in unum coalescant corpus. Si ab astronomico: an corpora cœlestia per spatia immensa mota in se invicem impingant. Si denique a Botanico an flores diversi generis vel speciei ex eodem semine nascantur; negando tibi respondebunt, & tamdiu recte respondebunt, quamdiu constiterit naturam iisdem jam ac olim obtemperare legibus. Si itaque ex his rebus imagines desumere voluerit vates, caveat sibi oportet ne in crimen falsitatis incurrat, & res aliter pingat quam natura ut depingerentur voluit. Si itaque, ut monita quæ adulinus exemplis adferendis aliquatenus confirmemus, poëta hominem nullius omnino pretii, qui socios suos quibus cum versatur depravat cum phlogisto compararet, quod nihil ipsum habens ponderis, illa etiam quibus unitur leviora reddat, nihil ineptius, nihil puerilius & insulsius in medium proferre valeret. Si intimam quæ inter duo viget pectora amicitiam & familiaritatem

per

per imaginem ex mictione sulphuris & auri petitam illustrare velles, vix ac ne vix quidem a rerum peritis veniam impetrares. Si denique solem aliunde emergentem depingeret quis, quam ex ea horizontis parte ex qua oriri solet nemini placeret sanio, si vel splendidissimis coloribus falsam suam picturam ornaverit. Sed cum de natura ejusque legibus mentionem injecimus, ne nosmet ipsos prætermittamus, ne obliviouscamur hominis, sed illum ita semper depictum sistamus, qualem & experientia sua, & consentiens aliorum sensus eum esse quemque odoceat. Studeamus itaque oportet legibus cognoscendis quibus ipsi etiam subjecti sumus; ex hoc autem studio singulas animi nostri facultates suos habere quasi mores, suis obstringi regulis, secundum quas moventur & negotia sua perficiunt constabit. Sic intellectus noster certis obstrictus est in cogitando regulis, certas argumentandi ingreditur vias, neque ab his abduci se patitur. Hinc philosophi qui ad intellectus nostri recessus penetrarunt, statuunt omnia esse possibilia, quæ nullam inter se habent discrepantiam, quæ simul cogitare possumus, & quæ non repugnant propositionibus antea demonstratis; omnia quorum claram possumus exhibere definitionem; omnia quorum partes se invicem haud destruant, & quæ sunt reliqua. E contrario autem ut impossibilia rejiciunt omnia, quæ se mutuo destruunt, quæ uno loco & uno tempore adesse non possunt, nisi unius vel alterius rei destruatur natura; quæ repugnant

D 2

gnant veritati antea validis argumentis probatæ; omnia quæ sensuum sive externorum sine internorum testimonio contraria sunt. Hæc omnia ex intellectus natura hauserunt metaphysici, atque inde principia cogitandi elicuerunt, quæ lædere minime oportet litterarum elegantiorum cultores. Suas etiam leges habet facultas nostra sentiendi & imaginandi, neque singulorum affectuum ignorare licet naturam. Amor aliam prodit indolem quam odium, ira aliam quam lenitas, gaudium quam dolor, quod evidenter probatur simus, cum ad affectuum pervenerimus locum. Neque, ut ad summam rei veniamus, sublimem naturæ humanæ partem prætermittamus, sed supremam actionum cogitationumque legem nostrorum consideremus oportet. Nihil adferat nec orator nec vates, quod hujus legis naturam tollere videatur. Egregium facinus, cuius splendor per totum orbem terrarum diffunditur, nequicquam spernat atque suo præmio laudeque carere patiatur. Nihil repræsenter ut bonum, quod non idem sit justum, nihil ut adprobandum & laudandum in foro sanctissimi judicis legis moralis loquor moderatorem, quod tantum speciem habeat virtutis, nec ab interno mentis in bonum amore profectum. Impossibile enim est ut ex ratione humana deleatur idea veræ & perfectæ virtutis nisi simul naturam humanam omnino perverteris.

Ex his igitur quamvis levissime disputatis, ad ideam

Ideam possibilis & impossibilis adsurgere forsan valuerimus: omne enim quod legibus naturæ, sive in mundo physico sive in morali contrariatur, ejusmodi est ut in litteris elegantioribus nunquam exhiberi & exornari aut possit aut debeat. Quæ cum ita sint salubrius vix artificibus dederis consilium, quam ut naturæ studeant, ex quo studio hoc ipsis redundabit utilitatis ut res in mundo obvias, & quod palmarium est, hominem cognoscere discant, atque omnia quæ illum spectant rite repræsentatur sint. Sic illorum opera nihil habebunt quod delicatores sensus, quod saniores mentes lædat & offendat, nihil quod experientiae contradicat, nihil quod eodem loco & tempore uno adesse non possit. Sic nulla monstra, nulla deliria & portenta obtrudentur orbis litterato. Neque abs re esse existimaverim regulam hanc quamvis simplicem studiosissime urgere. Si enim summa etiam ingenia hac in parte aliquando turpissime errarunt, quid medicribus accidet. Si Homerus ipse fluvium retortum currere permisit ut assequeretur virum quemdam; a) Si sapientissimus

D 3

ipse

¶) Volunt multi critici ut in eundem fere errorem incideret Virgilius & illum imitatus celebris *Gallorum Racinius*. Habet ille pugnam inter *Herculem* & *Cacum* depingens: diffultant ripæ, refluitque exterritus amnis.

Habet hic monstrum ingens horrendum describens le flot, qui l'apporta, recule epouvanté,

ipse *Virgilius* naves exhibet in Nymphas commutatas b). Si sublime *Miltoni* ingenium, tormenta in Cœlis collocavit, atque angelos ensibus se invicem perforare patitur: quis est qui non videt, quam periculosum est naturam non obsequiosissime sequi ducem?

§. VI.

Sed non est tamen quod nimio rigore utamur. Cum enim constet litteras elegantiores non in mundo tantum actuali versari, sed in illo etiam ac præcipue, quem idealem vocare moris est, paulo liberior est ei permittenda potestas, atque suæ quædam

stabi-

Sed observare mihi liceat hasce picturas quamvis audeces tamen veras esse posse; sunt enim ad ornamenta referendæ;

b) Forsitan tamen excusandus est in hoc *Virgilius*, idque eo magis quo certius constat eum ipsum dixisse: *Præfca fides facto sed fama perennis* forsitan inest huic narrationi veritas quædam historica, quæ nobis jam latet, nisi dixeris illam totam quantam esse allegoriam, atque adeo naves hasce non absurdius in Nymphas commutatas quam socios *Ulyssis* in fues. Erant naves de quibus agitur ex monte Ida fabricatæ adeoque, perire non possent igne, sed cum mari nonnullæ perissent omnino per incendum idem fieri posset. Confr. *Marmontel Poétique Françoise*, Tom. 2, pag. 13. Cuicunque patet nos verbalem respexisse sensum: in quo aliorum vestigia presimus.

stabilendæ sunt regulæ. Historiæ annales evolventi reperire tibi mox licebit, quomodo statim ab infantia sua constituta fuerit diva poësis; atque si negare simul non potes, etiam hodie iisdem illam distinguui notis & frui privilegiis; neque dubitare poteris quin egregia hæc ars humanæ naturæ optimæ conveniat. Quisque nempe homo vates & musicus & saltator, pro sui videlicet ingenii facultate est: sensa sua sæpiissime ita exprimit vehementiora, ut naturam rei exceedere videatur, quam non tamen excedit: naturæ enim apprime convenit ut sic affectus loquatur. Homines in primo naturæ statu res obvias contemplati, & impressionibus rerum percipi, non logico ordini convenienter, non ad metaphysicorum normam; sed per sonum & gestus, per verba ferventia, per imagines audacissimas, ardentes animi affectus expresserunt. Postulasne ab his ordinem ubique exactum, veritatem perfectam, similitudinem cum rebus evidentissimam? Vana postulas: visne leges ruentि per saxa torrenti easdem quas tranquille fluenti alveo præscribere? Neque est cur hanc quam spectamus linguam orientalem præcipue voces, humana est: quotquot vividioribus feruntur sensibus, poëtæ sunt, ab India usque ad Lapponiam, atque eadem natura quæ aves volitare, eadem vates fingere voluit. Neque igitur jam licet quærere an vatibus fingere liceat? Cum per tot sæcula finxerunt. Est hoc humanæ excellentiæ non minimum specimen quod non tantummodo

do mundum, qui ob oculos ejus versatur admirari valeat, sed etiam ipse ad illius exemplar novos innumerous mundos condere audet. Habent scilicet divi vates, habent philosophi, & omnes, qui sublimius quid cogitare valent, habent inquam potestatem suum pronuntiandi: fiat! quod ubi effatum fuerit, novi mundi ordine, atque elegantia conspicui in scenam prodeunt atque conditoris ingenium testantur. A ποιέω derivanda est Poësis & Poëtae; & quis est tam audax ut hoc nomen sibi vindicare sustineat, nisi creaverit aliquid, quod saeculum ferat, quod mox exstinctum iri timeat? Ut pictura poësis erit; quomodo autem procedunt pictores? Num nonnisi facies quales sunt depingant? Minime; sed ad ideam perfectæ pulchritudinis adsurgunt, atque omnia pulchra & excellentia quæ in singulis observarunt, ea colligunt atque in una tabula collocant; unde artis consumatissimum oritur exemplar. Fuit hoc ab antiquissimis temporibus vatibus concessum, ut naturam imitarentur, non serviliter, sed libere, adeo ut illam, si fas est hac uti voce, extollere & ad majoris venustatis culmen adducere conarentur: unde & sapientissimum quem artium elegantiorum agnoverunt & adhuc admirabuntur saecula magistrum recte monuisse constat: poësim non qualia facta sunt, sed fieri vel oportuisset, vel potuisset depingere c).

Sit

e) Φανερὸν δὲ εκ τῶν εἰς μένων, καὶ ἔτι ἐπὶ τῷ γνόμενῳ λέ-

Sit itaque Hesiodo, sit Homero & Virgilio licitum, novas res, easque solitis pulchriores producere; neque sit aliquis, cui cor adeo ad pulchra quævis obtusum sit, ut illorum opera non admiretur. Gestet ergo Jupiter catenam illam, qua omnia fata vincita tenet: nihil sublimius unquam excogitavit ingenium humanum. Venerem semper comitentur Gratiae: vix delicatiorem inveneris picturam: Sit Minerva ex cerebro Jovis egressa: nihil enim ingeniosius admirabitur orbis litteratus: atque ut paucis rem expediam

Pictoribus atque Poëtis
quidlibet audendi semper fuit æqua potestas
atque adhuc erit. Sed non est quod his verbis adeo
inhærent, ut quæ sequuntur plane negligant perle-

Sed non ut placidis cœant immittia, non ut
serpentes avibus geminentur, tigribus agni.

Contenti sint Poëtae, naturam imitari, atque modesti
utantur oportet licentia, quam sibi concessit summus
elegantiorum artium Magister. Neque enim tam am-

E plis

γεν, τέτο ποιῆσις ἐργον εἰν, αλλ' οἷα σὺ γενοῦ: & in li-
neis mox sequentibus αλλὰ τέτο διαφέρει. Poësis nempe
ab historia: Την μεν τα γενόμενα λέγειν, την δε οἷα σὺ
γενοῦ. Vid. Cap. IX. Περὶ ποιητικῆς.

plis juribus utentes grati animi & modestiae obli-
scantur. Naturam non pervertant, non deformem
reddant, sed sequantur, sed exornent. Ordinem ob-
servent, quem illa sequitur in quacunque re suo lo-
co collocanda, in partibus ad totius naturam apte
conformandis, in certis cuique rei affectionibus
pro rerum varietate distribuendis, in ultimo omnium
operum suorum fine sapientissime constituendo, &
quæ sunt reliqua; atque ex his observationibus quo-
modo ipsi creare debeant, summa animi solertia
addiscant.

§. VII.

Vel ex his concludere licet, veritatem illam,
quam in litteris elegantioribus postulamus eandem
esse, quam alioquin dicere solemus probabilitatem
& vero similitatem; quod ut plenius constet non-
nullas addere lubet observationes. Primum tamen
omnium observabimus, non eundem in omnibus o-
peribus requiri veritatis gradum. In nonnullis ma-
ximi est momenti ut descriptio rei describendæ ex-
acte sit similis. Valet hoc in primis de iis, quæ a
natura ex historia, e vita communi quasi mutuo
sumta, adhibentur, quæque adeo fidelem postulant
pictorem, ut ne ornandi quidem animo mentiatur. Ad
omnes artes extendit hæc observatio suum imperium.
Sic eloquentia, cujus est in vita communi hominum
animos domare, severius veritatis observet necesse
est

est præceptum: quod si finis suus est, ut docendo
persuadeat, ut πίστιν constantem efficiat; sequitur, ut
cum nihil credere facile soleant mortales, cujus ra-
tiones quomodounque intellectus suus perspicere
non valeat, veritatem colere oratores debeant. Si-
militer in pingendis imaginibus sensui auditorum aut
spectatorum familiaribus servanda est exacta veritas;
nisi contemni a spectatore velit artifex, aut turpem
faciem honestare conatus, aut pulchram depravans.
Sic in picturis ab historia petitis severiores nos in
judicando præbemus, quam in ejusmodi operibus,
quorum fabula auctoris ingenio tota suam debeat
formam. Neque igitur Poëtæ licet Marcum Aure-
lium vel Trajanum depingere ut Tyrannos, cum
ex historia constet eos fuisse principes laudatissimos.
Neque audeat pictor pugnam Carolum duodecimum
inter & Muscovitas ad Narvam depicturus scenam
ad alium locum transferre, quam ubi certatum es-
se nemo ignorat: quo respectu peccavit nescio quis
pugnam Alexandrum Magnum inter & Persas alio
loco pugnatam depingens, quam ubi historia narrat.
Neque dignus est laude celebris pictor Paulus Ve-
ronesi, qui inter veteris Testamenti Heroas collo-
cavit Monachas Benedicticos & conductos ex Hel-
vetia milites. Vituperandus quoque Poëta Lusita-
nus illustris Camoens, apud quem Wasco di Gama
Heros poëmatis sui fata sua Melidensium regi nar-
raturus ab hoc rege querit: an credat Ulyssem plus
malum passum fuisse? quasi nomen Ulyssis his populis

an nos oculi eumq; anima; boni co-

cognitum esse potuisset d). Eadem regula valet, ubi artifex aut situationem egregiam, aut locum singularem, aut urbem amplissimam, aut Herem celebrem adumbrare studet: exacta enim in his dominetur oportet veritas.

In cæteris autem, & ubi inveniendi locus datur artifici, præclare agitur, si adsit veritas, quam relativam appellare liceat, & cuius natura paullo accuratius nobis examinanda est. Nisi enim huic veritatis generi suus constiterit honos, pulchra multa, multa egregia & immortalia ex poësi nostra eliminabuntur. Quod damnum foret irreparabile. Nescio profecto, ut ad hoc tanquam fortissimum confugamus exemplum, nescio quomodo fabulas Æsopi defendere valebimus, nisi hanc relativam amplectamur veritatem. Egregie Batteux de hac re locutus: *La fable sera vraisemblable, quand il aura tous les traits, que se trouvent ordinairement dans la vérité; quand le temps, l'occasion, la facilité, le lieu, la disposition des acteurs, & leurs caractères semblent conduire à l'action, quand tout sera peint selon la nature & selon les idées de ceux, a qui on raconte.* Sed forsitan adhuc supererit dubitanti scrupulus; forsitan quæsi-verit

^{d)} Hæc ut & multa alia exempla mihi subministravit D:rus de Voltaire quod indicare volui, ne vitio mihi vertatur, quod alienis pennis superbire coner.

verit aliquis: ubinam quærendi sunt characteres isti veritatis in operibus, quæ omnem naturæ ordinem subvertere videntur? Quis enim a se impetrare poterit, ut credat, boves, canes & leones locutos suis, longas orationes habuisse, atque interdum philosophis sapientiores fuisse. Referamus igitur hæc omnia ad naturam humanam, cujus veluti proprium videtur, ut semet ipsum ad Deum, ita alia animalia ad se attollere. Referamus illa ad tempora, quibus quasi in cunis adhuc vagiebat philosophia, cumque infantili modo se exprimere solebant mortales; & denique referamus fabulas istas ad sensum, quem intendunt moralem, ad saluberrima præcepta, quæ matrum more inter ~~lapos~~ ^{lupos} virtutem librorum animis instillantium, inculcantur; atque sic ne Æsopi quidem fabulæ sua carebunt veritate: sed constabit eas sæpiissime non esse nisi allegorias, similitudines longiores, atque figuræ, quibus inanimatis vita tribuitur, neque magis taxandum esse Æsopum si quercum loqui passus fuerit, quam Cicero, qui ad Albanos tumulos sese convertit, quasi illi possent audire. Non itaque est, quod in his verbalem & exactam quæras veritatem: quæras sensum, & nobilissimum præceptum, & acutissimam observationem: fabula est involucrum aliquod; tollas hoc, si absconsum tibi videtur, & invenies aurum pretiosissimum, neque pœnitibet te horulæ, quam involucro evolvendo dicasti.

Constat Græcorum vates mundum creasse fabulosum, in quo Dii & Deæ magnas interdum, sed saepe etiam ridiculas agunt personas. Non est quod multis argumentis has defendam fictiones: tollas eas si placet; at simul & animum & corpus sustuleris poëeos Græcanicæ: quid itaque supererit? Si autem æqui judicis nomen tueri valueris, referas has fabulas oportet ad sensum & physicum & moralem, quem spectant; referas illas ad humani intellectus consuetudinem ab effectibus ad causam iisque producendis parem, adeoque in rebus admirabilibus divinam concludendi; quo facto mox, quæ antea tibi absonta videbantur, non modo dum & perspicua, verum etiam egregia & summa admiratione digna apparebunt. Sic in prima Iliades libro morbus, qui Græcorum exercitum invaserat, describitur. Erat quidem valde naturalis morbi causa, scilicet quod nimio solis calore affligerentur corpora. Cum vero Apollo sit solis symbolum, hic Deus erat qui horrendam gestans pharetram e cœlo descendit, atque pestifera sua tela per exercitum jaculabatur, unde nata est sublimis hæc descriptio.

Βῆ δὲ κατ' Οὐλύμπιον παρέντων, χωρίεντος καὶ τόξον ὀμοιούσιον ἔχων αἰμφυγεφέα τε Φαιξέτενην
ἐκλαυγάσαν δ' αὖτοις οὐτοὶ ἐπ' ὄμοιον Χωρίνοιο
οὐτοῦ πανηδύντος ὁ δὲ πητὴ πυκτὶ σομώς.
Ἐζεῖτ' ἐπειτὴν ἀπάνευθε νεῶν, μετὰ δὲ τὸν ἔπειτα
διών δὲ κλαυγήν γένεταις αἴρυγέοισος Βιοιο.
Βάλλει δὲ πυρὶ γενέων παίοντο θαυματα.

Sic

Sic exoritur in Achillis mente prudens cogitatio iræ nimium non esse indulgendum, sed vim ejus esse compescendam, quod nisi fecerit, maximum inde redundare posse detrimentum. Hæc est rei facies, qualis revera se habuit: quam si tali modo illam descripsiferis, vera utique narrabis; sed ubi tum splendissimæ Minervæ sapientiæ Deæ imago, ex cœlo descendedentis, atque flavam Herois comam manu prehendentis, Achillem colloquio obstupefacentis, atque ad tranquilliores mentem redigentis? Sed hæc quidem fabulæ nullo defensore opus habere videntur; quæstio tantum est, an nobis quoque, quibus clarior lux adfultit, uti liceat his fictionibus. Fortitan vix fide dignus esse videar, si contendero multos fuisse, & in illorum numero etiam eos, qui litteris totos se dicarent, qui contenderent, in honestum esse hos Græcorum fontes adire, & ex illis nostros irrigare hortos: fuerunt profecto, sed videntur mihi haud cautius calculos subduxisse, quam si quis ex fonte optima aqua abundante ideo haurire dubitat, quod ad antiquum Templum profanis Diis sacrum situs esset. Non est igitur quod dubitemus, Venerem pro pulchritudine, Martem pro fortissimo animo, Minervam pro sapientia, Neptunum pro mari adhibere: referantur oportet ad finem suum hæc dictiones, referantur ad proclivitatem humani ingenii, vitam & quasi humanas vires & agendi morem rebus quibuscumque, etiam mortuis, quæ insigne edunt effectus tribuendi. Ingeniosissimus Boileau non mi-

nus

nus recte quam egregie cecinit. Ejus verba adferre nobis liceat.

*Dans une profane & riante peinture,
de n'oser de la fable employer la figure,
de chasser les Tritons de l'impire des eaux,
d'oter a Pan sa flute aux Parques leurs ciseaux,
d'empecher que Charon dans la fatale barque
ainsi que le berger ne passe le Monarque,
c'est d'un scrupule vain s'allumer sottement,
& vouloir aux lecteurs plaire sans agrement:
laissons les s'applaudir de leur pieuse erreur,
mais pour nous banissons une vaine terreur. e).*

Neque meum fuerit Homerum taxare, si parum
fanas de diis suis conceperit ideas, illasque minus
digna suis personis facinora interdum committere
patiatur: refero enim has quoque fabulas ad tem-
pus, quo vixit, & ad populum, cui sua scripsit Ho-
merus; quo facto mox jacta illa in eum tela retun-
di cerno. Neque igitur miror, si Jupiter in Idæ
ca-

e) Ad quæ adjungas quod de usu Mythologiæ hodierno e-
gregie monuit Experient. Lindebäck in edito a se speci-
mine Acad. an. 1789, ubi in compendium redacta sunt,
quæ de hac materie dici possunt.